



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nervi Sine Mole: h. e. Controversiarvm Roberti Bellarmini  
S. Rom. Ecclesiae Cardinalis Eminentissimi Compendium,  
à cavillis & imposturis Guilielmi Amesij ... Vindicatum**

**Erbermann, Veit**

**Herbipoli, 1661**

Liber. II De Peccato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9498**

## LIBER SECVNDVS.

PDEECCATO

## CAPVT PRIMVM.

## De peccato veniali.



Quæstio est, (ut fatetur Amesius) An dentur peccata venialia ex natura & ratione peccati, id est, quæ non sunt repugnantia charitati DEI & proximi? Communis sententia Catholicorum est, peccata quædam ex natura suâ, nullâ ratione habita ad prædestinationem vel reprobationem, (ut VVicleffus & Calvinus volebant:) aut ad statum renatorum, vel non renatorum (ut volunt Lutherici:) esse mortalia, quædam venialia; & prioribus quidem indignum reddi hominem amicitia DEI, & mortis æternæ reum; posterioribus temporali tantum supplicij, paternæque castigationis constitui hominem reum, ita ut DEVM quidem offendant sed non usque ad amicitia dissolutionem. Addit Bell. ab hac communi Catholicorum consensu deflexisse nonnihil Gersonem Almainum, & Ioan. Episcopum Rossensem: quibus addi debet Michael Bajus (cujus sententia à tribus Pontificibus damnata est) quorum tamen sententia etsi (juxta Medinam) sit *absurdissima*, tamen multum differt à Luthero-Calvinica hæresi. Amesius huic statui controversiæ sic exposito acquiescit, insigniter tamen cavillatur, dum sive ex imperitia, sive ex malitia ait: Consensum istum Pontificiorum optimè declarat Medina in l. 2. qu. 88. c. 1. *Qua ratione distinguatur peccatum veniale à mortali non una est sententia Doctorum, sed*

sed variant in infinitum opiniones. Est hæc, inquam, illustris cavillatio. Nam, ut sæpe in superioribus monui, in substantia dogmatis, quod distinguantur, omnes Catholici conveniunt, saltem post Conc. Trid. definitionem Sess. V I. cap. II. & Sess. XIV. c. 5. & Michaël Bajus monitus retractavit similiter suum errorem. Quo modo autem præcisè distinguantur, ad fidem non pertinet, sed Scholl. disceptationem.

§. I.

*Adstruitur veritas Catholica.*

I. Ex Matth. 5. 22. Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui dixerit, Raca, reus erit concilio; qui dixerit, fatue! reus erit gehennæ ignis. Reus iudicij dicitur, qui aliquid fecit, unde in iudicium vocari possit, sed non constat, an mereatur pœnam aliquam vel nullam. Reus concilii dicitur, cujus culpa certa est, sed ambiguum quanta sit, & quam pœnam mereatur; & idè iudices inter se conveniunt in concilium, ut definiant pœnæ mensuram. Reus gehennæ ignis vel mortis æternæ dicitur, cujus culpa & mensura culpæ, ac per hoc etiã pœnæ gravitas certa est. Hinc conficitur tale argumentum: Manifestum convitium teste vel iudice Christo facit reum gehennæ ignis, ac per hoc pecc. mortale: iracundia sono vocis expressa, sed ad malum convitij non pertingens, facit reum concilii, i. e. non constat an mereatur gehennam, sed aut eã pœnã, aut minore digna est. Ergo inveniuntur peccata quedam, quæ leviora sunt, quàm ut gehennam ignis mereantur. Rursus iracundia, quæ nullo signo externo foras erupit, non facit reum concilii, sed iudicij; hoc est, non constat, an mereatur pœnam aliquam, an nullam; unde sequitur, ut sine dubio, si pœnam meretur, temporalem non æternam mereatur, cum sit levior culpa, quàm ea esset, de qua dubium esse poterat, temporalène supplicium an æternum mereatur. Amelius in primis hoc argumentum suo more per puram omissionem.

enero

*enervavit.* Deinde circa illos tres gradus peccatorum à Bell. notatos putidè cavillatur. Christus enim ad declarandam illam culparum diversitatem usus est metaphora familiari Iudæis, & nota triplicis generis supplexij fontibus apud illos infligi soliti, ut ibi Interpretes comm. notant. Amesius autem ut hæc omnia eludat, fingit hanc omnem disceptationem de gravitate peccatorum fieri respectu Christi, quasi ipse dubitet aut inquiret, an & quam poenam mereatur hoc vel illud peccatum &c. quod nulli Catholicorum in mentem venit. Sed nimirum contradicere oportebat, ut quovis modo tueretur manifestum errorem. Vbi revera *impudens & insanum* dici meretur ejus inane effugium; quo convitio Bellarmini doctrinam Evangelio ex æsse consonantem configere ipse non erubuit.

II. Marc. 23. & Luc. 16. Peccata quædam comparantur rebus natura sua levissimis, alia verò gravissimis: *excolantes culicem, camelum autem deglutientes.* Vides festucam fratris tui; trabem autem quæ in oculo tuo est non vides. Amesius, quod solet cum maximè constringitur, hic etiam facit. Convitiatur & nugatur. Ait 1. *Elephantus non capit muscas. Non decuit igitur tantum camelum quantum Bell. fuit, culices & festucas captare.* At nonne poterat pari jure vel injuria hoc scomma scurrile ab aliquo sive Luciano sive Calvino in ipsum Christum jaci? 2. ait: *Proverbiales dictiones non sunt dentibus extendenda ultra suum scopum.* Esto. quis abnuit? ait 3. *Quod culex aut festuca est in comparatione, potest absolute mons esse: sicut terra ipsa tota, respectu totius cæli ambitus à quibusdam dicitur se habere instar puncti.* At probare oportebat Amesium, quod Christus eo loco non secundum rei veritatem, sed tantum per respectum ad homines deceptioni obnoxios, adeoque secundum æstimationem humanam falsam locutus sit. Id enim verò incarnatæ veritati repugnat. 4. ait: *In operibus bonus talis est differentia graduum inter maxima & minima, qualis est in peccatis:*

oatis: & tamen à Pontificiis minima dicuntur mereri vitam aeternam. *Quæ trabs est in eorum oculis, ut iidem non videant peccata minima valere ad pœnam aeternam?* Resp. falso assumit eandem proportionaliter rationem gradualem inter bona & mala opera. Nam in primis nulla opera moraliter tantùm bona merentur ullum præmium supernaturale. Deinde ipsa opera hominis iusti, iuxta SS. Thomæ, Bonav. communioem & probabiliorem sententiam, non nisi ex imperio charitatis prodeuntia merentur augmentum gratiæ & gloriæ &c. Vnde comparatio ut vera & apta sit, institui debet inter opera viva filii DEI ex charitate facta & opera mortiferè peccaminosa; ubi utrinque datur latitudo in infinitum inter minima & maxima, tam bona, quàm mala opera.

III. Luc. 12. 59. non exhibis inde, donec etiam novissimum minutum reddas. Per novissimum minutum, intelligunt SS. Patres Tertull. Orig. Hier. Ambr. Cyprian. peccata levissima. Amesius. *Minutum istud pœna invenitur in pœna aeterna. Non est igitur aliena minuti ratio ab illo peccato, quod meretur pœnam aeternam.* Resp. Commentum hoc de minuto in pœna aeterna repugnat non tantum apertissimæ veterum Patrum sententiæ, sed etiam verbis Evangelii sat claris, cum loquatur de carcere unde tandem exiri potest.

IV. Apostolus I. Cor. 3. comparat peccata venialia rebus naturâ suâ levissimis, ligno, fœno, stipulis &c. ubi SS. Ambr. August. Greg. M. intelligunt Apostolum significare per aurum & argentum & lapides pretiosos opera perfecta, quæ in iudicio DEI nihil nisi mercedem promerentur; per lignum, fœnum, stipulas, opera inutilia, sed venialia. Amesius præmissis nugis ad rem nihil pertinentibus a t3. *Non agitur hoc loco de peccatis, sed de doctrinis, teste ipso Bell. l. 1. de Purgat. 5.* Resp. Imo ait ibi expressè Bellarminus: *Vtraque expositio (tam de peccatis quàm de doctrinis) est bona & ex utraque deducitur*

citur assertio Purgatorii & peccatorum venialium &c.

V. Iacob. I. 14. Tres assignat motus concupiscentiæ, quorum 1. est involuntarius, scil. *unusquisq; tentatur à concupiscentia sua &c.* Et hunc motum Apostolus non dicit esse peccatum, sed ejus causam, si accedat consensus 2. est imperfectè voluntarius, (*concupiscentia cum conceperit, parit pecc.*) ac proinde peccatum, sed veniale, quod patet inde, quia nominatur peccatum, & tamen distinguitur à peccato consummato & mortem generante. 3. *peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem;* ubi non modò de ipso opere externo, sed etiam de actu deliberato interno sine dubio loquitur, cum in 2. ultimis Decalogi præceptis æquè vetetur; & Dominus Matt. 5. dixerit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Amelius. *Concupiscentia peccatum non distinguit Iacobus à peccato consummato tanquam speciem à specie, sed tanq; partem à toto. Cum igitur toti peccato mortem deberi docet, singulas partes mortales esse ostendit.* Resp. Hoc est commentum & glossa Calvinica, textui Apostolico contraria. Id enim quod parit aliud, non potest esse pars ejus quod paritur. Et quamvis concupiscentia semi-deliberata, à plene-deliberata & consummata non differat specie metaphysica: tamen si Theologicè secundum nocuummentum quod animæ inferunt, & juxta moralem æstimationem, tantum analogicè conveniunt, ut rectè contra Caiet. & Capreol. docent Suar. Vasq. Tanner &c.

V I. Ephes. 5. cum Apostolus sex peccatorum genera proposuerat, *fornicationem, immunditiam, avaritiam, turpitudinem, stultiloquium & scurrilitatem,* de tribus tantum prioribus (non de reliquis) affirmat, *qui talia agunt, non habere hæreditatem in regno DEI & Christi.* Nimirum docere volebat, tria posteriora debere quidem esse aliena ab ore sanctificato fidelium, non tamen ex genere suo talia esse, quæ excludant

ab

ab hereditate Christi & DEI. Amesius. *Silentium Apostoli, cuius alias fuisse causas constat, nihil testatur pro peccato veniali. Frigidum enim verò effugium! cur non vel unam ex aliis illis silentij causis indicavit Enervator?*

VII. Argumentum ex traditione Ecclesiæ & Patrum, quod cap. 10. prosequitur Bellarminus, consueta omissione & silentio *enervavit* Amesius. Inter ea testimonia verò etiam sunt Concilii Milevitani can. 7. & 8. à S. Augustino compositi, quibus in faciem resistere forsan puduit Amesium.

§. 2.

*Idem confirmatur Rationibus.*

I. Si pecc. venialia ex natura sua essent mortalia, & solum fidelibus ob fidem quam habent non imputarentur; certè infidelibus omnino imputarentur, & mortalia essent. Id verò manifestè falsum & absurdum. Ergo. Amesius 1. ait, *negatur ab ipsis Pontificis assumptio; probatque ex Azorio l. 4. c. 10. ubi docet, nemini extra gratiam DEI constituto veniale remitti. Resp. Hoc verum est ex consensu omnium Theologorum, sed quomodo hoc adversatur assumptioni Bellarminianæ? Aliud est non remitti pecc. veniale, aliud non imputari veniale tanq. mortale infidelibus. Amesius 2. ad assumptionis probationem negat sequelam. Probatio hæc est; Quia in eodem genere peccati gravius DEVM fidelis quam infidelis offendit, cum ille majori lumine præditus, plura beneficia à DEO & contra peccatum remedia plura &c. receperit, ut patet ex Luc. 12. Hebr. 10. Contra peccata infidelium ob ignorantiam esse leviora testatur suo exemplo Apostolus 1. Tim. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* Hanc probationem sine dubio solidam, rejicit Amesius exclamans: *Qualis est connexio huius consequentia?* Resp. Optima est, hæc scil. Cæteris paribus minùs imputantur infidelibus peccata ejusdem rationis, quàm fidelibus. Ergo*

Ergo quæ in fidelibus sunt venialia, non possunt in fidelibus tanquam mortalia imputari; alioqui enim impuarentur n agis, & non imputarentur magis, quæ est aperta contradictio,

II. Veniale dicitur quod venia dignum est, sive in quo aliquid est cur mitius puniri debeat. Quæro igitur quid sit illud, quod facit ut peccatum aliquod sit venia dignum, & ad reatum mortis à DEO non imputetur? Amesius 1. *Est aliud in peccatis quibusdam mortalibus, cur mitius puniantur, quàm alia mortalia quæ sunt atrociora.* Sed quid sit aliud illud, non potest Amesius exprimere. Mera verba dat. Amesius 2. *Nihil est in nobis quod per se facit ut peccatum aliquod ad reatum mortis non imputetur, sed misericordia DEI.* Sed hoc est manifestè hariolari. Si enim nihil est cur infidelibus potius imputentur, quàm fidelibus, unde constat illis imputari, non his? Certè ut discrimen aliquod vel apparens habeatur, debet recurri ad fidem. At iam suprà probatum est, fidem potius augere gravitatem peccati, iuxta oraculum Christi: *Servus qui cognovit voluntatem Domini, & non fecit, vapulabit multis.*

III. Veniale ex natura sua non ponit in homine aversionem à DEO, cum non repugnet charitati, ut perspicuum est. At pœna æterna non debetur peccato, nisi ratione aversionis à bono æterno, quod est DEVS. Amesius argumento huic manifestè succumbens, ait: *In ista petitione principii vix ulla particula est veri vel Pontificiorum iudicio.* Nam aversio & deviatio à regula est de ratione peccati, & ex eo quod actus humanus sit contra legem, subsequitur aversio à DEO. Resp. Amesius hæc verba Medinae (in duabus diversis assertionibus ad aliud prorsus intentum recitatis) vel non intellexit, vel fraudulenter insensum pervertit Medinae prorsus contrarium; cum idem D. conceptis verbis oppositum doceat q. 88. a. i. *non enim prorsus avertit hominem à DEO.* Sine dubio ipse æquè ac cæteri Catholici omnes, in peccato veniali



possunt in-  
loqui enim  
tur magis,  
m est, sive  
t. Quare  
um aliquod  
a DEO non  
is quibusdam  
mortalia qua  
n potest A.  
Amesius 2.  
m aliquid ad  
DEI. Sed  
est cur in fi-  
bus, unde  
t discrim en  
ecurri ad fi-  
n potius au-  
Christi: Ser-  
fecit, vapu-  
t in homine  
aritati, ut  
lebetur pec-  
o, quod est  
nifeste suc-  
ella particula  
erfio & de-  
ex eo quod  
itur averfio  
na (in dua-  
s intentum  
nter in sen-  
ium; cum  
eat q. 88. a. i.  
Sine dubio  
peccato ve-  
niali

niali (semideliberato verbo otioso ex. gr.) agnoscit  
aversionem vel deviationem aliquam levissimam  
a lege aeterna: idem tamen, ut ceteri omnes Catho-  
lici, vel ut fatuitatem, vel ut haesim exploderet  
eum, qui diceret, semideliberatum verbum otiosum  
avertere a DEO sine ultimo, adeoque Charitatem  
& amicitiam DEI expellere.

IV. Quavis offensio ex natura sua non dissol-  
vit amicitiam inter homines. Ergo nec inter DEVM  
& hominem. Si enim natura sua quavis offensa id  
facit, cur non etiam in DEO? Quod ex natura rei  
convenit, semper & ubique convenit. Amesius.  
Manente scilicet eadem natura. Sed alia est natura tam  
amicitiae, quam offensionis DEI, & alia hominum. Resp.  
Imo multo amplius urget hoc in DEO quam in ho-  
minibus. Nam multo arctiorem & fideliorem  
amicitiam colit DEVS cum justis etiam viatoribus,  
quam sit inter ipsos homines. Omnis autem omni-  
no amicitia sincera hoc habet, ut ea permanente  
amicus sit placabilis, & remittat obsequiis amici  
offensiuinculas quasdam leves & moraliter inevi-  
tabiles.

V. Peccatum non dicitur univoce de mortali  
& veniali, sed per analogiam quandam, & proinde  
pecc. veniale non est perfecte peccatum sicut mor-  
tale, ut docent SS. Thom. Bonav. &c. Ergo non  
debetur ei poena mortis aeternae. Anteced. probatur,  
quia ad peccatum duo requiruntur, ut sit volunta-  
rium & contra legem. Omne veniale aut non est  
perfecte voluntarium, aut non est perfecte contra  
legem; quod probatur & declaratur. Nam pecc.  
veniale triplex est, aut tale ex genere suo, ut verbum  
otiosum; aut ex imperfectione operis; & hoc vel ex  
subreptione, ut desiderium rei illicitae semidelib-  
eratum; vel ex parvitate materiae, ut furtum rei vilif-  
sima. Veniale igitur ex subreptione non est per-  
fecte voluntarium, ac proin nec perfecte peccatum.  
Veniale ex parvitate materiae potest quidem esse

Bbbb per

perfectè voluntarium, sed non perfectè contra legem. Lex enim non prohibet furtum unius oboli in specie, sed furtum in genere. Et quia finis præcepti est charitas, qui prohibet furtum, prohibet injuriam & læsionem proximi; & furtum quidem rei notabilis, quo simpliciter proximus læditur, prohibet simpliciter: furtum rei minimæ, quo proximus non nisi secundum quid læditur, non prohibet nisi secundum quid. Idemque est in aliis objectis. Denique pecc. veniale ex genere suo potest esse perfectè voluntarium & contra legem, si lex aliqua specialis de eo sit: sed ea lex non erit in rigore Lex. Nam cum (juxta Apostolum) finis præcepti sit charitas, & ex fine mensurentur præcepta; si quod præceptum constituatur de re, quæ parum admodum ad eum finem conducatur, (ut si speciali præcepto caveatur, ne quis verbum otiosum loquatur) id præceptum non poterit esse perfectè & in rigore atque autonomasticè Lex. Amesius 1. opponit Medinam, Azorium, Durandum, qui volunt veniale simpliciter dici peccatum. Verum inanem logomachiam ventilat *Enervator*, ut agnoscit ipse Medina l. c. adeoque Durandum tanq. omnibus Theologis adversantem rejicit in eo, quòd contendat, veniale æquè esse contra Legem ac mortale, ac non potius præter legem tantum. Stat igitur Medina planè cum Bellarmino; & quicquid Amesius opponit, ad rem nihil, sed tantum ad litem de vocibus spectat. Unde confirmatur idem argum. quia si peccatum veniale perfectè & proprie esset contra Legem, tum justus statim atque unum veniale commisit, esset verè ac perfectè Legis transgressor & reus omnium celestium præceptorum, juxta Jac. 2. *qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Hoc autem absurdissimum esse constat ex eo, quòd Scriptura vocat homines simpliciter sanctos & justos, & legis divinæ observatores, etiam cum pp. venialibus non carent,

ut

Cap.

ut conf  
Apostol  
re & co  
miseric  
dunt  
ordina  
S. Aug

Argu

I.  
dictus  
scripta  
peccat  
cis no  
quia al  
lia rei  
quia n  
res leg  
que q  
rit, qu  
confis  
distinc  
gratias  
facit, u  
rum,  
morte  
verum  
dictio  
levissi  
ge de  
quæ n  
postol  
omni p  
etiam  
erubes  
postol  
ius G

Cap. 1. De peccati venialis & mortalis distinctione 26  
ut constat. Luc. 1. de Zacharia & Elizabeth, de que  
Apostolis, 1. Ioan. 1. Iac. 2. &c. Fuere autem ve-  
rè & coram DEO iusti, etsi non ex lege, sed ex gratia &  
misericordia DEI. Denique venialia non exclu-  
dunt charitatem etiam perfectam, Viatori de lege  
ordinaria possibilem, ut de Apostolis constat. Vide  
S. August. 1. de perfect. Iust. Christ.

§. 3.

*Argumenta Luthero-Calvinica profligantur.*

I. *Generatim de omni peccato pronuntiatur*: Male-  
dictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ  
scripta sunt in libro legis. Deut. 27. Stipendium  
peccati mors. Rom 6 &c. Resp. In eiusmodi lo-  
cis non nisi de pecc. mortalibus agi, patet, Tum  
quia aliàs sequeretur homines iustos ob sua venia-  
lia reipsa & de facto excidere à vita gratiæ: Tum  
quia maledictio illa Deut. 27. refertur ad violato-  
res legû, quæ eo in loco tradita fuerant: Tum deni-  
que quia Apostolus Rom. 6. de peccato illo disse-  
rit, quod pugnat cum gratia, & simul cum iustitia  
consistere non potest. Nec enervantur ista 1. per  
distinctionem inter *iustitiam legalem*, & *iustitiam æ-*  
*gratiam Evangelii*: neque enim iustitia Evangelii  
facit, ut id quod est mortiferum, sit non mortife-  
rum, sed quodvis pecc. ex se mortiferum infert  
mortem & destructionem gratiæ Evangelicæ. Nec  
verum est 2. Apostolum Gal, 3. 10. extendere male-  
dictionem & benedictionem Legi ad opera etiam  
levissima. Vbinam enim mentio fit in universa le-  
ge de verbo otioso, gloriola inani leyiculâ &c. ob  
quæ incurratur maledictio Legis? 3. Falsum est, A-  
postolum iis verbis, *Stipendia peccati mors*, loqui de  
*omni peccato*, à cuius reatu fideles per Christum liberantur,  
etiam, non voluntario, ut c. 7. 20. 24. & omni de quo  
*erubescunt respicientes*. c. 6. 21. Hæc omnia non A-  
postolus assent, sed verbis Apostoli affingit tortuo-  
sus Glossator.

II. *Qui non diligit DEVM ex toto corde &c. illi violat legem & reus est mortis. Qui leviter peccat, non diligit DEVM ex toto corde. Ergo. Resp. Dilectio DEI ex toto corde, dupliciter intelligi potest. 1. ut idem sit ex toto corde, quod super omnia alia integrè ac perfectè, ut nihil DEI amori anteponatur. 2. ut semper actu DEVS cogitetur & diligatur ita, ut nihil obrepere possit, quod sit, non dicam contra, sed præter amorem DEI & proximi. Priori modo imperatur nobis in via dilectio; posteriori non, cum sit propria beatorum in Patria. Hoc ita se habere præter ea quæ suprâ lib. de Monachis, c. 2, dicta sunt, patet ex SS. Script 3. Reg. 14. 4. Reg. 23. Luc. 2, de Davide, Iosia, Zacharia & Elizabeth, de quibus testatur quòd *in toto corde sequuti sint DEVM & ambulaverint in omnibus mandatis & iustificationibus Domini.* Et tamen nemo dubitat, eos venialiter peccasse non minus ac Apostoli. Amesius multis hic verbosè replicat, sed omnia simplici inficiatione expediuntur: sunt enim pleraque apertè falsa, quæ cum non potuerint non ipsimet *Enervatori* esse suspecta, ne nihil egisse videretur, adducit Scholasticorum varias opiniones de tempore pro quo obligat præceptum Charitatis DEI affirmativum. Sed quid, quæso, hoc ad rem?*

III. *Minima opera bona (ex Pontificiorum sententia) merentur vitam æternam. Ergo & minima peccata merentur mortem æternam. Resp. Gratis dato Antecedente, Sequela negatur. Nam 1, dare minimo operi maximum præmium, ingens liberalitas & misericordia foret; dare autem minimo peccato poenam maximam, injustitia & crudelitas esset. 2. Dare calicem aquæ frigidæ ex charitate DEI, non opus minimum, sed valde magnum est & verè meritorium vitæ æternæ; huic autem operi bono non est opponendum pecc. veniale, quod simul cum Caritate consistit, sed mortale quod caritati repugnat. Amesius nec apparenter quidem potuit responsio-*

nem

nem Bellarmini enervare, nisi truncando rationem hanc posteriorem, seu planè ommittendo: circa priorem verò apertè cavillatur, & cretizat. Quis enim est Pontificiis, qui dicat, quod mereamur ex iustitia & ex condigno maximum præmium per minimum opus? Quà fronte igitur ait hic Enervator, *Omnes Pontificios docere de merito ex condigno*, quod hinc Bellarminus tribuit *ingenti Misericordiæ*? Similiter mendacium apertum est, cum affingit Filiucio & aliis Iesuitis, eos negare injustitiam & crudelitatem esse, quod hinc Bellarminus affirmabat.

IV. *Qualibet culpa potest à DEO iustè puniri pœnâ mortis aeternæ Ergo qualibet culpa, naturâ sua mortalis est, & solâ DEI misericordia venialis.* Resp. neg. Antecedens. Probat Amelius ex Iesuita Filiucio qui cum Tract. 22. num. 277. *DEVM iustè posse velle affirmat charitatis corruptionem ex peccato veniali sequi, simul affirmât iustè posse eum tal' peccatum plebtere morte aeternâ, qua necessario sequitur ex Charitatis corruptione.* Azorius Iesuita l. 3. c. 9. apertius & plenius, qui sententiam Gersonis hoc sensu approbat, quod nimirum veniale pecc. nisi quia est ab homine justo, DEI gratia & charitate prædito commissum, perpetuò puniretur; *iustè igitur à DEO puniri possit pœna aeternâ. Ratio est, quia nisi ex gratia condonaretur peccatum ipsum in aeternum maneret.* Resp. Amelius tam Azorium quàm Filiucium more suo, hoc est fraudulenter pro se allegat, ut eorum verba inspicienti patebit. Nec illi, nec plerique alii Theologi aliter ac Bell. hac in re statuunt. Etsi quamvis DEVS etiam minuendo paulatim corrumperet tandem ipsam gratiam habitualem, non ideo sequeretur pœnâ sensûs (de qua sola agitur hinc) aeternâ punitum iù venialem noxam.

V. *Malum culpa, etiam levissimæ, maius est quolibet malo pœnæ Potius enim subeunda est quævis pœna, quamvis gravissima, quàm peccatum etiam levissimum perpetrandum.* Ergo iustè potest qualibet culpa puniri à

DEO quavis poenâ, etiam mortis aeternae. Amesius ad hoc argumentum fingit à Bellarmino responderi ita, ut totum robur adhuc maneat. At in Bellarmino nec obiectio hæc, nec responsio invenitur, sed apud Medinam, qui q. 88. a. 1. & hoc & reliqua Gersonis argumenta dissolvit. Cum hoc itaque Medina neganda est Sequela. Nam licet malum culpæ majus sit quàm malum poenæ; (poena namque est propter culpam:) tamen cum veniale peccatum sit levis culpa, justum est ut levi poenâ plectatur. Punire autem poena aeternâ, in genere mali poenæ, majus est malum, quam peccatum veniale in genere culpæ. Culpæ enim venialis in suo genere est levis & exigua: punire verò poena aeterna in genere mali poenæ est summum malum, ideòque iustum non est, ut tantilla culpa (qualis est cogitatio aut verbum otiosum) tam gravi poenâ mulctetur. Adde, si hoc argumentum valeret, posset etiam iudex mortalium propter mendacium officiosum, aut furtum unius teruncii extremo supplicio afficere, quod per absurdum est. Verbo, Malum culpæ & malum poenæ sunt diversarum rationum, & ideo comparari non possunt.

VI. Peccatum quod dicitur veniale potest nunquam remitti. Ergo semper puniri potest. Ergo meretur per se poenam aeternam. Resp. 1. neg. posteriorem Sequelam. Resp. 2. Ne quidem per accidens potest veniale in aeternum puniri, ut cum Scoto aliisque multis valde probabiliter docet Rod. Arriaga in 1. 2. Resp. 3. Etsi opposita Sententia (quam cum S. Thoma docet Suarez & alii quos citat & sequitur Tannerus Tom. 2. supponitque hic Bellarminus) teneatur, dicendum est, per accidens non remitti veniale, quia etsi ex sua specie non mereatur nisi poenam temporalem, ex inhærentia tamen ad subjectum privatum gratiâ mereri poenam aeternam. Cujus ulterior ratio à priori est, quia existentibus in perpetuo statu inimicitiae & odii divini, in quo sunt

damna-

damnati ex peccato personali, non solum debentur  
aliae poenae determinatae, sed etiam debetur indeter-  
minatè hæc poena, ut careant omni spe, & non pos-  
sint expectare unquam statum mitiorem. Quare  
si à principio merentur aliquod supplicium, utique  
merentur, ut illud qualecunque sit in æternum per-  
maneat. Quod si denique DEVS vellet non con-  
donare, sed omnino exigere poenam peccati venia-  
lis ab eo, qui culpam ipsam venialem per actum di-  
lectionis purgasset; temporalem tantum non au-  
tem sempiternam exigere posset. Amelius, ut sy-  
cophantandi occasionem arriperet, truncavit hoc  
Bell. dictum, omittendo hæc verba, [ sed omnino exi-  
gere poenam ab eo, qui culpam venialem per actum dilectio-  
nis purgasset. ] ut securius posset calumniari & dice-  
re: Pontificii igitur viam tandem invenerunt, qua peccati  
reatus tolli possit sine ulla gratia DEI condonante; quæ insa-  
nia an alia aliqua maiore fruantur, merito potest dubitari.

## CAPVT SECVNDVM.

### De causa Peccati.

§. I.

Status Questionis exponitur.

Si sub his verbis controversia proponatur, *An*  
*DEVS sit author malorum?* vel, *An peccare possit?*  
vel, *An sit causa cur nos peccemus?* nulla questio erit,  
siquidem illa omnia non solum Catholici, sed  
etiam Calvinistæ & ipsi quoque Libertini negant.  
Frustra igitur laboraremus in probando, DEVM  
non esse causam peccati, nisi antè doceremus, eos  
re ipsa sentire, quod verbo profiteri non audent. Tria  
igitur præstanda erunt. 1. explicandum quid ipsi do-  
ceant de causa peccati ex parte DEI. 2. an ex eo quod  
ipsi docent sequatur, DEVM esse auctorem peccati? 3. an

sit vera eorum sententia? ac proinde an DEVS sit  
 auctor peccati? Amesius. Calumniandi potius hic  
 quàm disputandi artem proficitur Bellarm. dum contro-  
 versiam in illa sententia studet collocare, quam ab utraque  
 parte negari fateatur: *Controversia nulla est absque contra-  
 dictione, in qua idem affirmatur & negatur.* Resp. ver-  
 bis ipsius Calvinii in epistola ad Rotomagenses ad-  
 versus Franciscanum quendam Libertinum: *Con-  
 testatur (Libertinus, Calvinus) sibi longè aliam esse  
 mentem, seque DEVM mali auctorem facere nolle af-  
 firmat: sed quid prodest subterfugium in re tam aperta?* Sed  
 pergit exoptulare Enervator: *si Bellarmini inquit,  
 animus tanto impetu ferebatur in eos qui faciunt DEVM  
 auctorem peccati, non opus fuit ut magno labore & circuitu  
 sequelarum nostros (Puritanos Lutherocalvinicos)  
 in tales transformaret: habuit Dominicanos, quos Iesuita  
 huius criminis accusant: habuit nonnullos Scholasticos,  
 qui verbis disertis hoc dicuntur professi.* Sic enim Medi-  
 na 1. 2. q. 79. a 2. Ocham & Gabriel affirmant,  
 quod DEVS in rigore & proprietate locutionis est  
 causa peccati &c. *Negamus hoc sequi ex iis, quae à nostris  
 docentur.* Resp. Cur neminem unum è Iesuitis pro-  
 ducit Enervator, qui Dominicanos huius criminis  
 accusat? Aliud est dicere, [Videtur ex prædetermi-  
 natione physica inferri destructio liberi arbitrii, &  
 consequenter peccati origo attribui primæ causæ  
 præmoventi & prædeterminanti.] aliud verò accu-  
 sari ejus criminis, cuius reum Calvinum evincunt  
 apertissima ejus verba, ut mox videbimus. Verba  
 Ochami & Gabrielis certum est esse ambigua, & si  
 (sicut absque ulla violentia possunt) accipiantur de  
 causa materialis actionis peccaminosæ, seu, ut ipse  
 Medina eos se explicuisse fateatur, *quod DEVS est cau-  
 sa actus mali, non absurdissima sunt, ut ait Medina; sed  
 tolerari possunt.* Sanè quod DEVS dici possit cau-  
 sa physica ipsius actus mali quoad suam entitatem,  
 cum DEVS concursu suo generali ad totam ejus en-  
 titatem physicam concurrat, præter D. Alvarez,

Disp.



Disp. 24. n. 23. & alios Thomistas plerique alii fatentur, ut videre est apud Vasq. & alios, quos refert & sequitur Tannerus q. 9. num. 99.

Sententia Zvvinglii, Calvinii, Bezae, de causa peccati ex parte DEI, quinque propositionibus comprehendi potest. Frustra iterum calumniatur hic Bellarminum Amesius, quod, *sicut callidum Sophistam decebat, de communi Pontificiorum sententia nulla verba fecerit sed obiter suam innuerit, à magis recepta plane diversam.* Calumniam hanc esse infra magis patebit. Hic solum dico, Ex canonibus Concilii Tridentini, ac præcipue Sess. VII. can. 4. 5. 6. satis constare de communi sensu Catholicorum adversus Lutheri, Calvinii &c. blasphemias. Quod nonnulla aliquatenus eò pertinentia, necdum sint à Concilio œcumenico aut R. Pontifice definita, sed Disputationi Scholasticorum agitanda permittantur, nihil Calvinii &c. causam juvat. Quod verò additur, *Istas propositiones (quæ sequentur) eo sensu, quo à nostris (Paritanicis) asseruntur, à Pontificiis multis, adversus Iesuitas defenduntur; splendidum mendacium esse mox patebit.*

I. Propositio. Docent (Calvinus, Zvvinglius, Beza) DEVM non solum permittere, sed etiam velle fieri, quæcunque fiunt ab hominibus peccata. Amesius. *Hoc est, DEVM non otiosa, aut merè negativa permissione circa peccati existentiam versari, sed permissione voluntatis, eventum ipsum præsinientis.* Hoc est quod Bradwardinus, Doctor profundus ante aliquot sæcula scripsit pro causa DEI contra Pelag. l. 1. c. 33. Respectu cuiuscunque est DEI permissio; est & ejus volitio actualis. Resp. 1. Si per merè negativam permissionem intelligeretur pura omissio libera, facile nos haberet sibi consentientes: at cum non velit tantum actum positivum permittentem, sed etiam *volentem, impetantem, cogentem &c.* (quibus terminis utuntur Calv. Zvvingl. Beza) aut *præsinientem*, quo, velut directâ

finis intentione ad actum aut omissionem peccaminosam, procurat omnia media idonea; non potest ulla tergiversatione hoc dogma excusari à blasphema impietate. Resp. 2. Mirum est quòd illi multi Pontificii tandem ad unum Braduwardinum redigantur, cujus tamen verba facilem possent habere explicatum, nisi aliunde constaret, eum Scriptorem satis aliàs præluisse Calvino, in hoc argumento de Gratia, libero arbitrio, decreto divino absoluto &c. Et quia Amesius hunc suum Compatriotam infra frequentes tanq. auctoritatis eximix nobis objectat, operæ pretium est, hinc semel quid de eo sentiendum sit indicare. E Puritanis Anglis Gabriel Povelus in Præf. 1. de Antichristo, num. 29. è Catalogo testium Verit. Illyrici hoc ei panxit elogium: *Thomas Braduwardinus Anglus Meritonensis Collegii socius, Archiepiscopus Cantuariensis acerrimè pro gratia DEI contra liberum arbitrium, & Pelagianos eius Patronos, nempe Scholasticos Theologos pugnavit; idque nec sine approbatione multorum bonorum (Calvinicorum) nec sine Multorum seductorum (Catholicorum nempe) gravissima offensione, suoque periculo &c. claruit anno Dom. 1340.* Ita Povelus & Illyricus. A Catholicis communiter reprobat, ideoque à nonnullis accommodatum ipsi reperio illud angeli de Ismaële vaticinium Gen. 16. v. 12. *Hic erit ferox homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* An, & ubi impressus sit ejus Tract. quem pro *Causa DEI* inscripsit, hætenus apud nullum videre potui, cum aliàs Gesnerus ejusque Continuatores Simlerus & Frisius id diligenter notent: hinc verò tantum ajunt; extare illud Opus in Bibliotheca Vaticana scriptum anno 1411. E Catholicis recentioribus Franciscus à S. Clara, Theologus eruditus & FF. Minorum in Anglia Provincialis, in Tr. de DEO, *Natura, Gratia &c.* Londini anno 1635. excuso, et si sæpius suprà quam plerique alii

alii Catholici honorificè Thomam hunc alleget, & pag. 7. vocet subtilissimum & gravissimum suum conterraneum, ejusque Tractatum, magnum volumen & c. tamen doctrinæ ejus temerariæ absurditate compulsus, sic de eo pag. 19. inquit: Nullus quidem probo conciliationem Bradwardini, quam passim de causa DEI, præsertim l. 3. c. 1. & postea ponit. Concedit enim libertatem in terminis, re tamen verà negat; asininam dat, humanam aufert, nempe libertatem immunem à coactione & violentatione concedit, à necessitate negat: & sic dum Pelagium enervat, Manichæum suscitatur, & CALVINO VIAM STERNIT. Sed, magne Bradwardine, cum Augustino à te citato dicam & c. - Certissimus enim sum, nec in minimo hesito. V. Testam. & N. Christum, Paulum, Augustinum, Gregorium, ceterosque Doctores Ecclesiam sanctam DEI in tot Synodis, tot Papas & Sanctos, ac tot & tam validas rationes in destructione huius hæresis non errasse, non cæcos fuisse nec cæcos in foveam adduxisse. Hæc tu optimè de hæresi Pelagiana, idem proorsus ego de Calviniana, quam incautus seminasti! Sic Doctor Catholicus Anglus, de illo, VViclefi, Zwinglii & Calvini Prodromo censuit! Vnde nihil premit nos ejus præterita auctoritas.

II. Docent, DEVM non solum velle fieri, sed etiam ab æterno decrevisse, ut fierent quæcunque fiunt ab hominibus peccata, idque non prævisâ determinatione voluntatis humanæ. DEVM enim dicunt non decernere quicquam, quia præscit futurum, sed præscire futura, quia ipse decrevit ut fierent. Amesius. Hoc est, quicquid DEVS in tempore vult, quatenus vult, ab æterno voluit & decrevit; & huius decreti firmitas non pendet propriè ex hominis contingenti & mutabili voluntate, Nunquamne hoc legit Bell. nisi in Zwinglio & Calvino? Alvarez, inter alios Dp. 22. 7. de hac sententia; DEVS æterno suo decreto, atq; absoluta & efficaci sua voluntate prædeterminavit omnes

omnes actus nostros in particulari, ante eorum prævisionem, & independentem ab omni scientia media liberæ cooperationis futuræ ex hypothesi; ] sic testatur: Hæc est Sententia Thomæ, & omnium Thomistarum, Scoti, Vega, & Sanctorum Patrum. Resp. Agere hunc Thomistarum recentiorum principem eo loco de prædeterminatione operum bonorum videtur ex omnibus fere ejus probationibus, colligi. At quia *Dp. 24. n. 15. & seqq.* apertè docet, *peccati actum, secundum omnem suam entitatem positivam, esse efficienter à DEO, ut à causa prima prædeterminante actuali motione voluntatem creatam ad talem actum in quantum actus est, & secundum quod ens est;* Resp. 2. perquam dura & difficilia quidem hæc videri, si verba spectentur ut sonant: at videtur ille, ut nonnulli alii Thomistæ, rectè sentire sed malè loqui, nihilque aliud velle, quàm DEVM etiam malas volitiones infallibiliter præordinare ad suum finem, salva omni arbitrii creati libertate. Vnde D. Caramuel in Theol. Fundamenti num. 29. & seqq. demonstrat, *eum, etsi malè intellectus videatur durissimas habere sententias; tamen intellectum bene (hoc est eo sensu, quo ipse intelligi vult & præcipit) eas ipsas opiniones defendere, quas Molinistæ.* Et quia hæc res videri plerisque mira & paradoxa possit, Theses desumptas à Schola Societatis probat easdem in terminis à Didaco Alvarez admitti. Sed de hac re infra explicatiùs & fusiùs. Quòd si plus velint cum Didaco suo reliqui juniores Thomistæ, ipsi viderint. Nobis certum est non sic Doctorem Angelicum sensisse, ut in ejus defensionem ostendit P. de S. Iosepho Fulliensis toto Tractatu de hoc argumento.

III. Docent, DEVM etiam imperare Satanæ & improbis hominibus, ut concipiant maleficia, eosque ad hoc inclinare, impellere, & etiam cogere. Amesius. *Phrases istæ imperandi, impellendi & cogendi ad maleficia, à nostris non frequentantur, neque ut propyia approbantur. Neque tamen vescius fuit Bellarminus,*

*istius*

istiusmodi phrasés commodè posse explicari: sic enim ipse-  
met cap. 13. &c. Quod ad rem ipsam attinet, nihil aliud  
volunt nostri, quàm quod Scholasticè docent Thomista:  
DEVS motione prævia efficaciter applicat voluntatem  
creatam, ut liberè & infallibiliter operetur, sicut etiam alias  
applicat causas secundas ut naturaliter operentur. Alva-  
rez Dp. 23. 9. Resp. Rectius & brevius cum Paræo  
Amesius dixisset, hanc non esse amplius modernorum  
Calvinistarum sententiam sed Calvinii, quam  
verbis clarioribus expressit cum Zvvinglio & Beza,  
quàm ut ullius tergiversatione eludi queat.

IV. Docent etiam, DEVM operari in menti-  
bus hominum impiorum, & per eos tanq. per sua  
instrumenta facere omnia, quæ respectu hominum  
dicuntur, & sunt verè peccata. Amesius. Quod ad  
phrasés istas attinet, sunt ex Scriptura petita, à Bell. c. 13.  
approbata. Sensus nostrorum non est alius quàm qui à Tho-  
mistis approbatur: Hominis voluntas est quodam-  
modo DEI instrumentum, non purum & merum,  
sed liberum. Alvarez Diss. 68. 5. Resp. Alvarez  
conceptis verbis eo loco docet, voluntatem huma-  
nam malam esse tantum improprie & largo quo-  
dam modo dictum instrumentum DEI respectu  
actionis peccaminosæ. Calvinus autem longè ali-  
ter, Homo, inquit, iusto DEI impulsu agit, quod sibi non  
licet &c. & (multò magis quàm Bradwardinus  
suprà aut Iansenitæ) concedit homini libertatem  
afiniam, seu à coactione; aufert autem huma-  
nam, quæ est à necessitate. Quòd si Amesius Cal-  
vino deserto ad partes Thomistarum concedit, be-  
ne est, pax est hic.

V. Docent, ea quæ respectu hominum sunt  
vera peccata, tametsi fiant DEO volente, defini-  
ente, imperante, cooperante, tamen respectu DEI non  
esse peccata, sed opera bona, iusta, quia homines  
mala intentione, DEVS autem bono consilio illa  
omnia facit. Amesius. I. Pars antecedens discreta huius  
propositionis, iam antè satis est explicata, & ex eadem  
confe-

consequens est clara. Sed illa duo tamen non admittimus, *DEVM* scilicet peccatum facere quâ tate; & *DEI* ac hominis circa actum peccati concursum intentione tantum & consilio differre. Bradwardinus ante 300. annos ita docebat &c. Resp. Quid Amesius cum suis sociis admittat, vel non admittat, in quaestione hâc non est; sed quid Calvinus, Zwinglius, Beza. An nonne hi aperte quintam hanc propositionem docuere locis à Bell. recitatis? Iam vero

## §. 2.

*Equinque istis propositionibus legitimè deductis Bell. hæc Corollaria.*

I. Qui impellit, & cogit alium ad opus quodcunque faciendam, ejusdem operis primarius auctor est. Sed *DEVS*, ex adversariorum sententia hoc facit in peccato. Ergo. Amesius. 1. *DEVS* cogit voluntatem: quæ si cogeretur, desineret esse voluntas. Resp. 1. Frater cogit homines ad mandata divina præstanda, ait Calvin. l. 1. c. 17. §. 11. Malè ergo is locutus est & falsum asseruit, iudice Amesio. Resp. 2. Sed nihil hinc proficit, quia propositio illa vera est de voluntate humana suaviter & spontaneè necessitata ad peccaminosam actionem, adeoque totum argumentum firmum manet. Amesius. 2. Qui impellit aut movet alterum non moraliter suadendo, sed intimè dirigendo ad liberè faciendum illud in quo peccat, & illud facit iure dominii supremi in finem bonum, quem inde certò assequetur, ille non est auctor, sed ordinator peccati. Hoc autem totum est quod *DEVS* facit. Resp. Hic jam totam blasphemiam Calvini profiteretur, quàm antea tam cautè amoliri satagebat Amesius. Quis dubitet plus esse, directâ intentione actûs peccaminosi physicè necessitare miseram creaturam ad talem actum admittendum, quàm tantum moraliter suadendo eum inducere, relicta ei liberâ dissentienti potestate? Adde, contradictorios hâc implicari

termi

terminos, cum fingitur intima & physica necessitate hominem ad liberè sic operandum dirigere. Amesius.

3. Vel Bell. confundit opus, aut actum quò talis est, cum peccato, vel quatuor terminorum sophisma proponit. At verò communis est sententia Thomist. & Scholasticorum etiam reliquorum, actum peccati in quantum actus est, à DEO esse tanquam à causa: sed deficientiam & inordinationem actus esse à causa deficiente, non à DEO. Alvarez Dp. 24. Resp. Malitia formalis ab ipso materiali actu peccati, præscindi operà intellectus potest, re ipsa non potest. Itaque omnis qui cum sufficiente advertentia ad Legem æternam hinc & nunc opus tale verantem operatur, sive sit prima, sive secunda causa, sive ex sancto, sive ex pravo fine, semper peccat, cum peccatum essentialiter aliud non sit quàm dictum, factum, cogitatum contra Legem DEI æternam. DEVM esse causam actus peccaminosi, materialiter spectati, fatemur omnes contra Durandum; minimè verò liberæ determinationis ad illicitum, cum præstet concursus indifferentem ex se, quod omni labe peccati vacat.

II. Corollarium. Opus quodcumque magis pertinet ad imperantem, quàm ad exequentem. Sed ex adversariorum sententia DEVS jubet Satanæ & impiis, ut maleficia concipiant &c. Amesius. 1. Si DEVS imperaret alicui actum, qui aliàs ex lege communi peccatum est illi cui extra ordinem imperaretur, non esset peccatum, nedum DEO. Contradictio est enim, ut idem actus eadem ratione esset & secundum & contra voluntatem DEI revelatam. Resp. Hoc quidem verè dicitur de actibus pravis, in quibus per dispensationem divinam potest auferri prohibitio, ut constat, de homicidio, fornicatione &c. At quid de actibus odii DEI, & omnibus præcisè contra dictamen conscientie admissis? In his certè dispensare nec DEVS potest, cum fieri nulla potentia queat, ut DEVS sit licitè contemptibilis:

Et

Et tamen omnes hi ab impiis elicitī, ex imperio DEI eliciuntur juxta Calvinum. Est ergo in hoc patentissima & blasphemia & contradictio. Estque hæc impietas tanta, ut quamvis Calvinus eam aperte admittat, mitigare tamen Amesius maluerit imperium illud, & coactionem etiam seu necessitationem physicam interpretando *efficacem providentiam circa peccata*. Sed hoc est verba dare, ut per se patet.

III. Qui utitur instrumento, auctor est primarius ejus operis, quod ipse per instrumentum facit. Sed (juxta adversarios) impii dum peccant sunt instrumenta DEI. Ergo, Amesius. i. *Quatuor sunt termini. Opus enim quod DEVS per impios facit, quale, non est peccatum; sed iudicium iustum.* Resp. Hæc est patentissima & impiissima blasphemia. Quomodo enim non dico qualiscunque Christus, sed homo mentis compos credat, esse justum iudicium, quod DEVS intimam & physicam necessitatione dirigat miseros mortales tanquam instrumenta ad blasphemias & DEI odium &c? Cætera quæ addit de instrumento libero, inania effugia sunt, cum constet ex supradictis, Calvinicam illam libertatem esse merè nominalem & asininam, non vero realem & humanam.

IV. Qui procurat, & quidem efficaciter, ut aliquis peccet, is ejus peccati verissimus auctor dici debet. Sed ita DEVS, juxta Calvin. E. Amesius. *Efficax procuratio est vel ordinationis tantum & gubernationis existentiam rei inferentis, vel etiam effectiois rem suam vi producentis. Priore sensu propositio est falsa; & assumptio posteriore.* Resp. Propositio priore sensu est verissima, cum gubernatio non tantum permittens & ordinans, sed etiam intendens directe (quantumvis ad ulteriorem bonum finem) imperans, necessitans ad actum intrinsecè malum, sine dubio sit flagitiosa. Quis sani cerebri de hoc dubitavit? In posteriori etiam sensu assumptionem esse veram. patet



patet ex proximè dictis. Quæ enim possit efficacior fingi procuratio criminis, quàm velle, prædefinire, intendere, imperare, necessitare physicè ad actum, cui indispensabiliter annexa sit culpa?

§. 3.

*Everuntur argumenta Calvinica.*

I. *Varia sunt testimonia Scriptura, quibus significatur, DEVM velle & decrevisse illa, quæ ab hominibus cum peccato fiunt. Gen. 4. 1. Act. 2. 23. & 4. 23. Resp. 1. In malis operibus sæpe accidit, ut actio sit mala, & passio bona. DEVS igitur voluit ac prædefinivit opera ista virtutum, summæ scil. patientiæ, quæ in passione consistunt, cum voluit ac prædefinivit, ut Ioseph venderetur, & Christus occideretur: opera autem mala vendentium & occidentium non voluit, nec prædefinivit, sed cum prævideret, ea infallibiliter ex nequitia & invidia illorum, absque sua intentione & prædefinitione obventura, ordinavit illa ipsa ad bonum patientium. Neque verò nos (ut sycophanticè affingit Amesius) opus virtutis in mera passione constituimus, qui pro certo habemus, requiri ad formalem Virtutis actum, ut intendatur formaliter ejus honestas; quod secus est in actu pravo. Admittimus quoque libenter, decretum tale præfiniens non tollere libertatem & laudem, cum supponat consensum conditionatè futurum. Insulitas verò & imperitia haud levis est dicere cum Amesio, quòd sicut in calefactione ex.gr. actio & passio sit unicus motus; ita non esse realiter distinctas actiones, voluntatem sceleratam occidendi in Iudæis, & voluntatem patientissimè subeundi tormenta & necem in Christo. Quis dubitet præfiniri potuisse hanc, extrinsecus oblatà, minimè verò prædefinità illà? Certè ad hoc ut infallibiliter fieret, quod DEVS prædefinierat, ut scil. Ioseph venderetur,*

deretur, & Christus occideretur, satis erat DEVM prævidisse malas voluntates fratrum Ioseph, Iudæorum ac Pilati, & simul voluisse permittete, ut malæ illæ voluntates suo tempore patrarent, quod sceleratè conceperant. Amesius. *Hac ratione 1. Infallibilitas divini decreti penderet ex fallibili voluntatis humana inclinatione. 2. Præscientiæ DEI certitudo extra DEVM suam primam causam & rationem haberet. 3. Christi mors distinctè non fuisset prædefinita, nisi ex occasione malitiæ eorum à quibus fuit crucifixus. Persuadeat hæc Bellarminus suis Dominicanis. 4. Matthæus de Rispoli. l. 1. qu. 1. concl. 1. in fine sic argumentatur ex hoc responso. DEVS videt Petrum peccaturum infallibiliter, si in talibus occasionibus poneretur; & in talibus occasionibus ponit eum DEVS. Ergo DEVS est causa peccati Petri. Nequæ facile solvetur hoc argumentum, si concedatur Bell. principium: qui aliquo modo procurat peccatum, ille est auctor peccati. DEVS enim dum ponit hominem in talibus occasionibus, ex quibus peccaturum eum novit, & non in illis ex quibus eum peccato resistere voluisse videt, totum illud facit, quod (Bellarmini sententia) facere potest ad peccatum illius hominis procurandum. 5. Si DEVS ab æterno malas hominum voluntates distinctè & certò vidit, tum vidit eas prout entitatem aliquam habuerunt ab æterno, & proinde ut à voluntate ipsa DEI aliquo modo pendeant. Resp. 1. Infallibilitas divini decreti pendet à fallibili voluntatis humanæ determinatione non ut à causa, sed ut à termino: imò verius dicitur non pendere, sed terminari ad illum. Quid verò incongrui est, infallibilem DEI scientiam terminari necessariò ad contingentes & liberos effectus infallibiliter? Resp. 2. Sicut scientia, & voluntas DEI nullam habet extra se causam, ita nec earum certitudo, quam essentialiter habet omnis cognitio & decretum, hoc ipso quod DEI sunt. Resp. 3. Nihilominus mors Christi potuit distinctè quoad om-*

nes

nes ci  
tes pr  
DEV  
petra  
Evang  
deant  
rint!  
git: r  
Non c  
unive  
natur  
turus  
cùm  
libus  
homi  
re on  
est, qu  
fallib  
pium  
etiam  
tantu  
exhib  
te, a  
larur

lum.  
excit  
ibid.  
riali  
pios  
pote  
totus  
DE  
futu  
Crea

nes circumstantias ipsum Christum concernentes prædefiniri: malitiam Iudæorum præsciebat DEVS infallibiliter in ijs circumstantiis ea perpetraturam in Christum, quæ eos patrasse ex Evangelio constat. Quid in sua via hinc respondeant Dominicani, nostrâ non interest: ipsi viderint! 4. Argumentum illud Rispolis non stringit: nexus ejus vix est telis araneorum firmior. Non omnis qui quovis modo (physicè tantum, ut universalis causa) concurrat ad hoc, ut Titius ponatur in occasione, in qua infallibiliter peccaturus est, censetur reus scandali: sed tunc solum, cum potest & tenetur impedire, ne ponatur in talibus occasionibus. Quod si hoc valet in quovis homine; quanto magis in DEO universali Rectore omnium agentium liberorum. Planè falsum est, quod ponere hominem in occasione lapsus infallibiliter eventuri idem sit quod procurare lapsum, ut supra ostensum. 5. Pendent sine dubio etiam malæ hominum Voluntates à DEO, sed tantum ut permittente, concursum indifferentem exhibente, ac ad majus bonum sapienter ordinante, absque intentione ulla vel prædefinitione illarum.

II. DEVS dicitur impium creasse ad diem malum. Prov. 16. fecisse vasa in contumeliam. Rom 9. & excitasse Pharaonem, ut ostenderet in ipso virtutem suam. ibid. Resp. DEVS creat impios non nisi materialiter, i. e. creat eos, quos videt futuros impios, ut eorum impietate utatur ad justitiam & potentiam suam manifestandam. Amesius. Hoc totum est, quod in hoc argumento probatum imus, DEVM creare illos, quos videt sua permissione impios futuros, ut eorum impietate ad suam gloriam utatur. Creat cum voluntate permittendi, ad certum aliquem finem

finem per peccata sic permiffa consequendum. *Diffenfio est in ratione prævisionis tantum, de qua jam dictum est, quantum iste locus admittit.* Resp. Damnationem decernere ob prævisa peccata, iustitiæ est DEO digniffimæ: sine prævisione autem peccatorum, damnatione decernere, iniustitiæ videtur divinae benignitati non congruentis; quod tamen DEO affingit crudele dogma Calvini.

III. DEVS in Scripturâ dicitur impellere homines ad ea, quæ ipsis sunt peccata, & iis quasi instrumentis uti ad ea opera, quæ sine peccato perfici nequeunt. 1. Sam. 14. 1. 2. Sam. 16. 10. 2. Reg. 11. 37. & 12. 15. 24. &c. Resp. DEVS non solum permittit impios agere multa mala; nec solum deserit pios, ut cogantur pati, quæ ab impiis inferuntur; sed etiam præsidet ipsis voluntatibus malis, eosque regit, & gubernat, torquet & flectit, in ijs invisibiliter operando; ut licet vitio proprio mala sint, tamen à divina providentia ad unum potius quam ad aliud, non positive, sed permissivè ordinentur. Amicus. *Ultima illa limitatio (permissivè) non potest ad totam providentiam præsidendi, regendi, gubernandi, torquendi, flectendi referri sine manifesta contradictione.* Resp. Nulla, ne obscura quidem contradictio hic est, cum permissio præcisè sit respectu actionis peccaminosæ tantum; positiva autem immissio ex. gr. cogitationis bonæ, quæ malus malè ad suum aliorumque perniciem utitur, nihil continet malitiæ; imò eximie bonitatis & sapientiæ est, hunc ipsum abusum bonorum, quæ mali sibi ipsis tantum nocent in anima, convertere in bonum electorum & DEI gloriam. Falsum etiam est, si DEVS hac ratione permissiva ordinet hominem ad unum malum potius quam ad aliud patrandum, tum ordinare eum positive ad peccatum. Nam licet sit aliquid peccati in uno malo, quod non est in alio; id tamen non DEO malum ad bonum ordinanti, sed homini ad malum propria sponte se præcipitanti imputatur; sicut cum quis homini ad ruinam

præci-

præcipiti hanc potius quam aliam ad ruinam aperit viam, non est ei auctor ruinæ, sed permissivè ordinat ejus ruinam, ut rectè agebat Hugo à S. Victore. Denique falsum est, quod supponit Amesius, (imò affingit dictis S. Thomæ & Bellarmini) *DEVM præbere occasionem peccandi in illum finem ut peccetur, & sic procurare peccatum.* Hæc blasphemia Calvinì est, quam directè S. Th. & Bell. à DEO amoluntur. Qui ad bonum bono fine invitatur, quem tamen ex propria perversitate videt ad scelus tale abusurum, non scandalizat, non peccat, cum ne is quidem censeatur scandalum activum admittere, qui parato ad peccandum graviter, persuadet ut potius leviter delinquat; uti Loth, offerendo Sodomitis filias, ne nefanda paderastiâ se inquinarent, non creditur peccasse.

IV. *DEVS dicitur corda hominum excæcare & indurare.* Resp. Non positivè, sed negativè, permitiendo scilicet, deferendo, non miserendo; sicut Sol abcessu suo obtenebrat aërem. Amesius. I. *Non est causa positivè, sed negativè, hoc nihil aliud est, quam non est causa, sed est causa, sine vi causandi: omnis enim vis causandi est positiva, non negativa.* Resp. Amesius *λογωμαχίαν* ventilat. Quis enim neget, dari suo modo causam, seu principium inducens privationem? Obduratio cordis & excœcatio mentis non magis exigit positivam causalitatem in DEO, quam in Sole actionem positivam aëris obtenebratio. Tam cœcitas mentis quam obduratio cordis potest esse diverso respectu & peccatum, & causa peccati, & poena peccati. Imperitè hinc infert Amesius: *Si induratio aut excœcatio est poena, tum pendet à DEO iudice non negativè, sed positivè eam ex iustitiâ volente & decernente.* Resp. malè confunditur sententia qua decernatur poena infligenda, ab ipsa poena quæ in mera negatione potest consistere. Illa semper est positivum quid, non verò hæc. Poena quæ Adami posteritas privata est gratia sanctificante, nihil positivum

tivum est, licet decretum de ea infligenda sit ipse actus DEI positivus: Porro, etsi hæc desertio, secundum morem loquendi Scripturæ, rectè significatur per vocabula actionem exprimentia, reverà tamen nulla intervenit actio DEI, sed actionis omisio. Accommodat enim se S Scriptura in modo loquendi vulgari, quo dicitur ex gr. etiam is, qui nec ipse occidit, nec iussit occidere, sed tantum permisit & deseruit, uti 2. Reg. 12. David Uriam dicitur occidisse. Frustra tamen hinc præsidium quærit suo errori, cum ait: *Cur ergo vexamur nos calumniis, cum rectum istum morem Scripturæ observamus?* Resp. Non calumniis vexantur Calvinici, sed justè postulantur blasphemix, quod contra communem & verum sensum Patrum & Ecclesiæ (imò ipsius Scripturæ alibi se explicantis) non tantum permissivam, sed etiam positivam execrationem & obdurationem DEO affingant, dicendo eum prædefinire, physicè necessitare &c. ad scelera & reprobum sensum, quod innocentix divinæ nimium repugnat.

V. *Si DEVS nullo modo lapsum decrevit & præordinavit, tum ambiguo sine hominem creavit Sed falsum hoc. Ergo & illud.* Resp. neg. sequel. Majoris, quia ad gloriam Iustitiæ & Misericordiæ suæ manifestandam illum condidit. Creavit certè Adamum & totum genus humanum ad finem æternæ felicitatis consequendum, non quidem absoluto, sed conditionato decreto, si maneret in observantia mandatorum. Quia verò prævidit simul, illum in his quibus de facto positus est circumstantiis lapsurum, sed ex meritis Christi reparandum; duxit melius esse, è malis permissis majora bona elicere, quàm mala nulla permittere. Amesius. *Præscientia rei futura, si sit certa, certam aliquam & immobilem causam penetrat & comprehendit, ob quam illa res futura est. Sed nulla talis fuit ab æterno præter DEI voluntatem & decretum. Hæc igitur præscientia voluntatem & de-*

*cretum DEI supponit* Resp. Major est falsa, cum certissimum sit, præscientiam divinam de futuris liberis creaturarum nullam supponere causam proximam, immobilem & certam. Si enim sagacitas humana sæpe admodum verisimiliter de ejusmodi futuris liberis divinare potest; quidni DEVS infallibiliter omnia ejusmodi penetret & comprehendat? Hæc quippe certitudinem & infallibilitatem non ab objectis emendicat, sed essentialiter à seipso habet. Itaq; præscientiam infallibilem de odio DEI non præcedit decretum nisi permissivum; quod sufficit ut homo positus in manu consilii sui possit sponte libera cum concursu DEI indifferente eligere malum & non bonum. Quæ deinceps contra dictum Bellarmini [ Quod DEVS cognitione simplicis intelligentiæ cognoverit, hominem si concederetur, peccaturum ] disputat fuse Amesius, partim insitiâ, partim sycophantiâ laborant. Vnum idemque objectum reale, (ut lapsus Adami) sub diverso statu & consideratione potest pertinere ad Scientiam simplicis intelligentiæ, Conditionatam & Visionis. Quis dubitet in priori signo rationis antequam concipitur decretum de Adamo creando, concipi ejus & productionem & producti lapsum possibilem; & etiam sub conditione futurum, si ponatur in ijs circumstantiis, in quibus de facto positus in tempore est? Vnde nec tantillum laxatur argumentum Bellarmini, quod Amesius ait *omnibus suis pedibus laborare*, nempe hoc: Priora sunt in DEO, quæ necessaria sunt, quàm quæ sunt libera. Sed cognitio possibilium & conditionatè futurorum (ut sic) est in DEO necessaria. Ergo est prior omni decreto libero, & quæ ad hoc sequitur scientiâ Visionis. Major est axioma à Theologis communiter receptum. Nec Minor negari potest absque injuria in divinam scientiam, ut constat ex 1. Reg. 13. de prodicione Davidis si maneret in Ceilan; & Matth. 11. de conversione

Sidoniorum & Tyriorum &c. Frustra hinc in subsidium vocat prædeterminantium Thomistarum dogma, de futuris conditionatis nullam habentibus determinatam entitatem & veritatem ante decretum divinæ voluntatis. Esto enim, non sint determinatæ in se vel in causa ejusmodi veritates obiectivæ contingentes, nec ulli enti existenti identificatæ; negari tamen nequit, eas omnes obiecti cognitioni divinæ infallibili, ut suo loco demonstrant Scholastici.

VI. *Provenit à DEI decreto, non à natura, quod omnes homines in Adamo peccaverint.* Resp. Patet aliud DEI cum Adamo, ut innocens gratiam, lapsus transfunderet culpam originalem in posteros, non est causa privationis gratiæ in omnibus posteris Adami, sed ipse Adam, qui sciens & volens tali culpâ omni suæ posteritati nocuit. Nunquid si Rex vasallo vetaret, ne adversario suo suppetias ferat, alioqui nobilitatis privilegiis spoliandum se cum tota posteritate; nemo dicet Regem, sed solum vasallum esse & physicam & moralem causam, cum ejus posteritas ad conditionem plebejorum dejecta sit? Verbo, nunquam Princeps ferens legem, ad gravem pœnæ comminationem eam sanciens dici potest causa, (saltem per se & propriè) cur Rei talem pœnam incurrant.

VII. *Homo non potest labi DEO invito, vel ignorante, vel otiosè spectante.* Ergo lapsus est DEO volente. Resp. Lapsus est DEO invito, sed inefficaciter, non ignorante, nec otiosè spectante, quia ex officio primæ causæ concursum indifferentem præstitit. Lapsus denique est DEO volente non impedire lapsus, sed permittere ob justas causas, ut scilicet majora bona inde eliceret eius Sapientissima Omnipotentia. Quid hinc subsidij pro Calvini Prædefinitione, necessitatione physicâ &c. actus peccaminosi?



VIII. DEVS ab aeterno decrevit iustitiam & misericordiam suam manifestare. Ergo voluit aliquo modo ut peccatum existeret, sine quo ad istos fines non pervenisset. Resp. Illud velle aliquo modo, plus non importat, quàm velle permittere. Præscivit enim, solam permissionem sufficere.

IX. DEVS concurrit ad actionem illam efficiendam, quæ homini peccatum est. Sic est, quis præter Pelag. & Durandum negat? Quid hinc inferat? Ergo DEVS est etiam causa peccati ut sic. Resp. Si hoc infert Amesius, jam asserit quod supra negavit sub finem Thef. 8. cum Thomistis. Est verò mirandum, quâ fronte Amesius, postquàm summam retulit Bellarmini responsionem hanc [DEVS non efficit actionem illam ut causa particularis, sed ut causa universalis, præbens vim & influxum quendam indifferentem & communem ad illam actionem, & ad contrariam, qui à concursu causæ secundæ limitatur & determinatur:] mirum, inquam, est, quâ fronte Replicans Amesius dicat: *Novum illud commentum Iesuitarum, solidè refutatur à Thomistis, ut videre est apud Alvarez Dp. 21. quia facit providentiam DEI confusam, imperfectam, à creatura pendentem, ut ab ipsa perficiatur.* An non legit ipsa S. Thomæ dicta in eodem capite à Bellarmino recitata, quæ prope iisdem quibus Iesuitæ verbis hoc novum commentum tradunt. Nempe ex 1. 2. q. 80. a. 1. ad 3. hæc: *Dicendum, quòd DEVS est universale principium omnis interioris motus humani: sed quòd determinatur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & à diabolo per modum persuadentis & appetibilia proponentis.* Et ib. qu. 10. a. 4. ait, *divinam motionem recipi in causis secundis iuxta earum dispositionem.* Et in q. 3. de Malo; a. 2. ait: *Attendendum est, quòd motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum, & q. ead. a. 7. ad 13. ait: DEVM agere cum omnibus causis secundis, sed cum liberis*

ita agere, VT EAS NON DETERMINET AD VNUM, sed relinquat Determinationem in potestate liberi arbitrii. Denique l. 3. contra Gent. c. 66. dicit, causas secundas esse particulantes & determinantes actionem primi agentis. Vix sanè potuisset Doctor Angelicus hoc, quod in Bellarmino vocat Amesius *novum commentum Iesuitarum*, clarioribus verbis docere. Sunt ergo in hoc Iesuitæ genuini Doctoris Angelici discipuli. Perquàm falsum est, quod dicit & non probat Amesius, *sic facere nos DEI providentiam confusam, imperfectam &c.* Quasi vero non ad eam sufficiat prædefinitio omnium bonorum operum, malorum verò permissio, concursus indifferens & ordinatio. Quod ex Did. Alvarezio *concursum, DEI generali indifferenti* objicit argumentum, lexcenties protritum est; & hinc etiam à Bellarmino, tantò ante quàm à Salpense Didaco, objiceretur, solutum. Concursus enim ille indifferens ad peccatum & virtutem tunc solum est peccaminosus, cum ille præbens concursum tenetur impedire malum, quod sciebat eventurum: DEVS autem non tenetur ad mala impedienda, quæ certò novit eventura, Tum quia summus provisor est: Tum quia potest è malis elicere bona: Tum quia æquum est, ut naturas conservet, neque eis deneget auxilium, sine quo operari non possunt: Tum denique quia si DEVS omnia mala impedire vellet, plurima mundo deessent, cum nihil ferè sit in rebus creatis, quo non aliquid aburantur. Ad hæc respondere Amesius debuisset, quæ maluit sua ~~non~~ dissimulare.

## CAPVT TERTIVM.

### De Peccato originali.

§. I.

*Status Controversæ.*

Amesius.

multa, c  
tò castig  
legitim  
est, Ver  
qualis i  
prie pec  
autem c  
vari) l  
soleant  
is qui p  
Per Ba  
iustitia  
beat ra  
6. 7. C  
omnibu  
causa p  
simplic  
calum  
Fide s  
Cont  
origin  
cum Pe  
tificii  
tismu  
gant si  
hoc sp  
ca? R  
Calvi  
nem V  
DD. E  
Batav  
nomin  
eur Co  
Histo  
ait, c  
Concu  
ri; t

Amesius. Quamvis apud Bell. occurrant alia multa, qua de hac materia ita traduntur, ut à nostris merito castigentur; unica tamen est controversia gravis, de qua legitimam cum nostris instituit disputationem. *Quaestio est, Vtrum corruptio naturae, ac praesertim concupiscentiae, qualis invenitur etiam in baptizato & iustificato, sit propriè peccatum? Pontificii negant: Nos affirmamus* Hic autem diligenter animadverbi debet, (quod non solet observari) Pontificios, quamvis quaestionem istam proponere soleant de iustificato tantum, idem tamen aperte sentire de iis qui post Baptismum, dominante iis peccato sunt iniusti. Per Baptismum enim ita absolvi docent hominem à debito iustitia originali, ut concupiscentia postea regnans non habeat rationem originalis peccati. Bonav. in 2. dist. 32. 5. 6. 7. Cum autem concupiscentia eodem planè modo sit in omnibus iniustis, evidenter sequitur, Pontificios in hac causa pro Pelagianis pugnare, qui Originale peccatum simpliciter negant. Resp. Puritanus iste evidenter calumniatur. Cum enim apud omnes Catholicos Fide sanctum sit, per Baptismum, Pœnitentiam & Contritionem perfectam penitus tolli peccatum originis; quomodo igitur peccatum originis simpliciter cum Pelagio negamus? Quàm insulsa cavillatio! Pontificii negant, Concupiscentiam in renatis per Baptismum habere rationem pecc. originalis, Ergo negant simpliciter cum Pelagio peccatū originale. Nunquid hoc specimen illustre est argutationis Quodlibeticæ? Reponam huic Puritano Theologum alium ex Calvini Schola Reformatum, Gerhardum Ioannem Vossium, qui ex Collegio Theologico Illustr. DD. Holl. & VWestfris. Ordinum, quod est Lugduni Batav. Scripta sua omnia Ecclesiae reformata (quo nomine, inquit, cum Nostris complector eas; quae sequuntur Confessionem Augustanam) iudicio submitteus, in Historiae suae Pelagianae lib. 2. part. 2. antithesi 7. ait, Augustinus (itèmq; Hieronymus) fatetur, Concupiscentiam in renatis etiam mali nomen mereri; negat tamen, in illis propriè peccatum dici posse.

edò quod reatus originalis peccati per Baptismum tollatur. Deinde recitatis SS. August. & Hieron. verbis ex l. 1. de nupt. & concup. c. 5. 23. 26. item lib. VI. contra Julian. c. 5. & 8. l. 2. de pecc. remis. c. 28. & Hier. Dial. l. 3. adversus Pelagianos; subdit: *Quaerunt verò Augustinus neget, concupiscentiam in regenitu esse peccatum propriè dictum; agnoscit tamen hoc nomen ei competere, l. 1. de nupt. & conc. c. 23. Unde perspicuum est, juxta Vossium, nos Pontificios idem prorsus sentire in hoc puncto, quod SS. August. & Hieron. nec nisi per atrocem calumniam posse Nos cum SS. Aug. Hieron. (imò Catholica Ecclesia universa) argui Pelagianismi & negati simplicitatis peccati originalis. Quòd si Puritani, mitiori huic Reformato Batavo non acquiescant, acquiescent saltem suo Calvino, qui paria profitetur l. 3. Inst. c. 3. §. 10.*

§. 2.

*Probatum Veritas Catholica.*

I. Ex Iac. 1. ubi quatuor distinguuntur ab Apostolo; Concupiscentia, Suggestio, Delectatio, & Consensus: & concupiscentia non appellatur peccatum, sed parrus ejus. Concupiscentia parit peccatum. Amesius 1. *Ridicula est hæc argumentatio tota. Nimirum quia non nisi deridendo solvi à Luthero-Calvinicis potest! Ames. 2. Aliena est conclusio, & planè Pelagiana. R. Aliena ab omni veritate est hæc calumnia, & plus quàm Calvinica. Vbi enim unquam SS. August. Hier. aut ullus ejus avi Catholicus scriptor, Pelagium reprehendit, quòd concupiscentiam in quibuscunque sive baptizatis, sive infidelibus dixerit non esse formaliter & propriè peccatum? Imò, nonne S. August. à Bell. laudatus idem quod Nos dixerat; pariens à pariente discernitur. Ames. 3. Concupiscentia dicitur parere peccatum, ac modo quo interna animi rectitudo (qua est iustitia) parit iustitiam.*

iustitiam  
totius m  
pradica  
compa  
lem be  
benefic  
uti jam  
habitur  
ter soph  
insulsa  
Concupis  
Libente  
etiam p  
peccatur  
primi ho  
gumen  
subje  
lectatio  
tamen B  
Delecta  
saltem v  
dulente  
tur Bel  
qui est  
tus aut  
parum  
tum, a  
I  
Concu  
propriè  
fius. 1.  
non forti  
quàm q  
Cum A  
damnat  
bile, im  
manife  
qui car

justitiam, i. e. completum actum, de quo nomen & natura totius motus & principii eius usitate & proprie maxime predicatur. Resp. Mala est hæc comparatio. Vera comparatio debet iustitui inter potentiam naturalem bene dispositam, uti erat in statu Innocentiæ beneficio originalis justitiæ; & malè dispositam, uti jam est ex privatione orig. iustitiæ. Item inter habitum virtutis, & habitum vitiosum. Vnde patet sophistica vanitas effugii Amesiani. Non minùs insulsa sunt Effugia Gerhardi, qui 1. infert hinc, *Concupiscentiam in non renatis non esse peccatum.* Resp. Libenter admittimus illatum. 2. ait Th. 72. sic etiam pecc. orig. non esset verè peccatum, quia scilicet parit peccatum actuale. *Peccatum originale est inobedientia primi hominis. Ergo hæc non esset peccatum.* Resp. argumentum ex Apostolo procedit de uno eodémque subjecto, quod hic secus est. 3. ait: *Sic etiam delectatio æquè ac concupiscentia non esset peccatum, cum tamen Bell. l. 1. de amiss. gratia c. 3. §. Rursus, dicat, Delectationem, h. e. consensum imperfectum esse peccatum saltem veniale.* Resp. Gerhard more suo, h. e. fraudulenter Bellarminum allegat. Nam non loquitur Bell. de motu primo delectationis, sed de eo qui est imperfectè voluntarius & deliberatus. Motus autem ille primus planè indeliberatus æquè parum est formaliter & proprie culpabilis & peccatum, ac ipsa Concupiscentia.

II. Paulus Rom. 7. 17. 18. satis apertè docet, Concupiscentiam in homine justificato non esse proprie peccatum, quod reum facere possit. Amesius. 1. *Secundum hoc argumentum primum evertit.* - an non fortius argumentum, quod petitur ab eo quod dicitur, quam quod pendet ex eo quod disertis verbis dicitur? Resp. Cum Apostolus conceptis verbis dicat, nihil esse damnationis, seu damnabile, culpabile, reprehensibile, imputabile, ubi nempe consensus cohibetur; manifestum est, motus illos concupiscentiæ omnes, qui carent consensu voluntatis, non posse esse cul-

pas & peccata propriè dicta, sed ita dici per metonymiam, ut ait S. August. Vnde est frivola Ameliana altera evasio, quâ ait, *sophisticè à Bell. mutari questionem, eò quod dixerit, Concupiscentiam non esse proprie peccatum, quod reum facere possit. Omniquippe propriè d. peccatum essentialiter reatum culpæ, imputabilitatem, reprehensibilitatem & involvit. Voluntaria est Ameliana illa glossa: [ *non dicit, non posse sibi imputari; sed innuit, per gratiam Deum non imputari.* ] Si non est, non est imputabile. In renatis non est culpa, seu voluntaria à lege Dei averfio. Ergo nec est imputabilis: & ut non esse imputabilis, fecit gratia, quæ extinxit culpam. 4. iterum falsò affingit Apostolo, quòd *non velit ab solvère motum illum non esse suum, cum fateatur. 11. & 19. se perpetrare, se facere &c. & illa ratione subijcit peccato. 14. Sed intelligit non esse suum opus comparative & secundùm partem illam regentem, qua ab illa efficaciter dissentit. Vel imperitè, vel fraudulenter pervertit Apostolum hæc Glossa, cum non modò communis SS. Patrum interpretatio, sed ipsa ratio naturalis dicat, motus Concupiscentiæ involuntarios, (sicut è contrario motus primos gratiæ illuminantis & excitantis) facimus nos physicè, sed non moraliter, seu liberè. Vnde ait Apostolus; *Non ego* (id est, non totus homo, vel rationalis superior portio) *operor illud.* Nam si reluctante ratione, sola pars inferior operatur, verè dici potest, *Non ego operor illud.* Est quidem omnium operationum physicè consideratarum principium QVOD ipse totus homo operatur moraliter, atque ut agens liberum est, non est principium QVOD nisi illarum actuum, quæ cum advertentia rationis voluntariè eliciuntur: quo observato evanescent pleraque cavillationes Ameliane planè futiles, ac præsertim ultima, cum ait: *Peccatum orig. antecedit iudicium rationis & voluntatis actum primum ut causa suum effectum. Concludit ergo pulcherrimè Bell. peccatum orig. non esse pecc. proprie dictum.***

Resp.

Resp. I  
fert. B  
prio, q  
tentia  
le alien  
cautos  
tur.

I  
ijs. qui  
stificat  
cupisce  
tiferun  
Quam  
causa c  
solution  
miseric  
causa  
Mag. S  
sa Luc  
Nam  
rensio  
ultra,  
eos qu  
adeòq  
Eri er  
tur ius  
& form  
iis sub  
thero-  
detero  
actu i  
quipp  
argum  
peccat  
enim  
sive n  
dame  
tio, c

Resp. Hoc non Bell. sed Amesius sycophanticè infert. Bellarminus loquitur de peccato actuali proprio, quod verissimè ait non contrahi ante advertentiam rationis: Amesius id nequiter ad habituale alienâ voluntate contra dictum detorquet, ut incautos fallat. Si non fallat, ipse pueriliter fallitur.

III. Rom. 8. Nihil ergo damnationis est in ijs, qui sunt in CHRISTO IESU; seu, nihil est in iustificatis condemnatione dignum; adeoque concupiscentia in renatis remanens non est pecc. mortiferum æternâ damnatione dignum. Amesius. *Quamvis nulla sit iis condemnatio, est tamen dignitas & causa condemnationis: aliâs nulla esset in illis materia absolutionis: Item, nulla est talis condemnatio talibus, propter misericordiam DEI reatum amoventis; sed est in ipsis causa condemnationis &c.* Eodem ferè modo respondet Mag. Scholasticorum l. 2. d. 23. &c. Resp. Hæc Glossa Luthero-Calvinica Apostolo & veritati repugnat. Nam DEVS qui est infinite bonus, sapiens & potens ita remittit peccatum mortiferum, ut non sit ultra, adeoque cum justissimè iudicet res uti sunt, eos quos in amicitiam recipit, facit dignos eadem, adeoque non ultra dignos æterna damnatione. Et si ergo Concupiscentia & ignorantia relinquuntur iustificatis ad agonem, peccatum tamen propriè & formaliter esse nequeunt, quia nolentes volentes iis subjacent. Mag. Sententiarum non favet Luthero-Calvinicis, nisi ultima particula (*manet actus*) detorqueatur ad sensum Auctori contrarium. *Ly actus* idem est quod in effectu. Concupiscentia quippe est pecc. originalis effectus. Confirmatur argumentum. Quia Reatus est inseparabilis à peccato digno æternâ damnatione. Non est enim sola ordinatio ad poenam, sed est dignitas sive meritum poenæ. Relatio non potest à fundamento proximo separari. Sed reatus est relatio, cuius proximum fundamentum est peccatum.

Ergo reatus non manet nisi manente peccato, perit hoc necessario pereunte illo. Amesius. *Sola ordinatio ad pœnam tollitur in remissione peccati, non verò dignitas. Ordinationis autem illius actualis fundamentum proximum est iustitia DEI persequens peccatum vindictâ; & hoc fundamentum post gratiam remissionis in Christo non manet.* Resp. Gratis ista assumuntur Apostolo planè adversa. Quomodo enim nihil est in iustificatis condemnatione dignum, si manet tota culpa mortalis? Nunquid sic iudicium DEI non esset secundum veritatem? Iudicaret enim eum hinc & nunc amicitia sua dignum, qui tamen re ipsa est odio dignus ob meritum culpæ remanentis. Sed videamus subtile effugium Amesii. *Contrarium, inquit, est certissimum; quod non manet ut obiectum remissionis, de eo non potest dici quod remittatur. DEVS verò quando remittit, non indicat peccatum non esse, sed ex gratia indicat non esse vindictâ prosequendum; & hoc iudicium est verum.* Resp. Similis est hæc argutatio Calvinica huic: Quod non manet ut obiectum destructionis, de eo non potest dici quod destruat. At forma corrupta in mutatione substantiali non manet ut obiectum destructionis. Ergo forma corrupta non potest dici quod destruat. Nunquid ineptè satis? at quod inter utramque argutationem discrimen? Remissio iniquitatum nostrarum per gratiam divinam facta non est ficta, sed tota quanta vera; ita ut qui antè odio erat dignus, nunc amore sit dignus ob mutationem intrinsicam à gratia DEI homini proveniente.

Nota, Omittit Amesius testimonia SS. PP. conscius fortasse ex ipsa Calvinii confessione (ut supra notatum) eos nimium favere sententiæ Catholicorum.

IV. Baptismus non liberat hominem à concupiscentia. Ergo vel concupiscentia non est pecc. orig. vel Baptismus ab hoc non liberat. Amesius. *In celebratione Baptismi ob signatur liberatio ab omni peccato; & ab omni pœna peccati: sed effectum actuale ipsum huius ratio*



rationis non perficitur uno momento. Sed qui hac respon-  
sione enervatur argumentum? Nonne & anteced.  
verissimum, & consecutio optima est? Obsignatio  
illa commentitia jam Tom. III. lib. i. explosa est:  
& licet gratis admitteretur, nihil inde pro solutio-  
ne nostri argumenti.

V. Concupiscentia est effectus & poena pec-  
cati orig. E. non est ipsum pecc. orig. Amesius. *Con-  
cupiscentia actualis non est effectum aut poena peccati orig.  
in eodem homine habitantis.* Quid hoc monstri? Ex-  
gône verum, quod homo puritanus & concupiscen-  
tia sit una eademque res? Ergône aperitè profiteretur  
Amesius monstrosam Illyrici fatuitatem? ô sapien-  
tiam! Nihilò sanior est responsio, quam adhibet  
hoc Bell. argumento: [Eadem est ratio mortis &  
concupiscentiæ. Sed mors est poena & non pecc.  
origin.] nempè, *dispar est ratio concupiscentiæ.* Neque  
*inim dictum aut scriptum legimus: Qua die peccabis, concu-  
piscentia concupisces.* Resp. Certum est, in illa DEI  
comminatione (*Morte morieris*) intelligi mortem  
tam animæ quàm corporis, & illam mox eo mo-  
mento incurrendam actu; hanc vero etiam statim  
quoad debitum & necessitatem; quoad actum verò  
ea tantùm hora & momento, quo libuerit DEO sen-  
tentiam mortis exequi: idque verum est in poste-  
ris æquè ac in Adamo. Sicut autem sub morte corp-  
porali intelliguntur, licet non exprimantur, morbi  
corporales; (ad mortem corp. disponentes) ita pas-  
sionum inordinatio tanq. dispositiones ad mortem  
animæ per actualia peccata incurrendam.

VI. Si homo non nasceretur ex Adamo, & ta-  
men haberet concupiscentiam quam nunc habet,  
non posset in eo concupiscentia propriè vocari pec-  
catum. E. concupiscentia ex se & natura sua non  
est propriè peccatum. Nec verum est, quod ait Ames.  
*ex eadem suppositione probari posse, Concupiscentiam non  
esse poenam.* Nam disparitas inter culpam & poenam  
est, quod ex arbitrio DEI pendeat, ut id quod alias

in aliquo statu hominum foret naturalis conditio, jam post admissam culpam in statu naturæ integræ, deputetur in pœnam, subducta originali justitia & protectione DEI; non verò ex decreto DEI pendet, ut res merè naturalis sine libera volitione homini imputetur ad culpam, & peccatum propriè ac formaliter. Merè naturalem esse concupiscentiam peccate spectatam, jam lib. I. ostensum est, minimè vero justitiam originalem utpote naturæ humanæ indubitam. Quàm absurdum verò sit, dicere peccatum propriè d. esse naturale in statu puræ naturæ (uti asserit hic Amef.) quis nisi cœcus non videat?

VII. Primi concupiscentiæ motus, quibus mens resistit, non sunt peccatum. Ergo nec pronitas ad tales motus. Antecedens probatur; quia istiusmodi motus non sunt in nostra potestate. Amef. 1. *Hac strophâ infertur pro Pelagianis, nullum esse pecc. orig. omnino, quia primi eius motus non sunt in nostra potestate.* Resp. Infertur hoc vi Quodlibetica, supponendo scil. errorem Luthero-Calvinicum, de quo est tota controversia. Amef. 2. *Primi isti motus sunt eiusdem rationis cum orig. peccato, quod Lombard. l. c. necessarium esse docet.* Distinguo; sunt ejusdem rationis cum peccato orig. à Luthero-Calvinicis conficto, concedo assumptum: cum vero pecc. orig. quod singulis Adami posteris inest, nego. Lombardus dist. 23. non dicit, quod ei Amefius adscribit. Quòd denique ex Bonav. Paris. Altisiod. & Halens. cum Magistro dicit, *his motibus resistere esse aliquo modo in nostra potestate, nihil ad rem facit, & planè falsum est, cum evidens sit, primam de rebus cogitationem non esse in hominis potestate, ac pecc. consequens nec motum in appetitu ex ea subito consequentem.* Iterum Magister falsò allegatur.

VIII. Si concupiscentia est verum peccatum, & semper manet in homine, quantumvis justificato, sequitur Christum non verè, sed imputativè

tivè  
Ame  
Hau  
Qu  
inqu  
sim  
sura  
qua  
mic  
tend  
hoc

pecc  
tur  
dici  
Chr  
pro  
test  
mod  
ti,  
agen  
qui  
phy  
mo  
tura  
lite  
ad h  
ex p  
geli  
duo  
scc

tivè

tivè tantum redemisse ac liberasse à peccatis. Amesius. 1. *Verè & imputativè non opponuntur.* Resp. Haud minùs quàm filius naturalis & adoptivus. Quid prodest non imputari mihi peccatum, si illo inquiner reipsa? quid obest imputari, si eo non sim obstrictus? Sive autem mansura, sive non mansura sit semper concupiscentia in justificatis, saltem quamdiu manet, facit homines fœdos, DEO inimicos & odibiles, si à parte rei (ut adversarii contendunt) propriè pecc. mortiferum est. Plura de hoc infra, ubi de Iustitia imputativa, lib. VI.

§. 3.

*Profligantur argumenta Luthero-Calvinica.*

I. *Concupiscentia, qua in renatis est, saepe vocatur peccatum. Rom. 6. & 7.* Resp. cum S. Aug. Vocatur ira per Metonymiam, sicut Osee 4. Sacerdotes dicuntur comedere peccata populi: & 2. Cor. 5. Christus dicitur peccatum, quia sacrificium fuit pro peccato. Amesius. *Hoc ipsum concipi non potest (à Calvino Lutheris, quia non volunt;) quomodo aliquid per modum habitus interni causa esset peccati, & non peccatum. Interna causa inclinans ad bene agendum, est bona.* Resp. Id facile concipiunt omnes quibus hæresis perversa non dominatur. Mala est physicè & causaliter seu radicaliter; minimè verò moraliter & formaliter; sicut & habitus supernaturalis Virt. Theoll. est bonus physicè & causaliter, minimè verò moraliter & formaliter; cum ad hoc essentialiter requiratur libertas, ut constat ex primis principiis Ethicæ erroribus Neo-Evangelicis non interpolatæ. Vnde jam frustra adducuntur in subsidium illa epitheta Concupiscentiæ ab Apostolo cap. 6. & 7. expressa.

CCCC 6 quod

quòd sit non bonum, malum, odio habendum, pugnans cum lege DEI, crucifigendum, mortificandum, destruendum, miserum reddens eum cui inest &c. Plus existius modi non extunditur, quàm motus concupiscentiæ legi DEI adversantes esse malos materialiter & objective, quibus si accedat consensus rationis, pariatur peccatum formaliter. Alia ratio est de peccato habituali, id enim sine dubio est formaliter malum, quia nihil aliud est, quàm peccatum actuale necdum condignè retractatum & remissum.

II. *Apostolus Rom. 7. 7. apertè testatur, Concupiscentiam esse peccatum à lege prohibitum.* Resp. S e est de actu voluntario concupiscentiæ, qui sine dubio formaliter repugnat legi divinæ. Quæ replicat Amesius, merissimi principii petitio sunt.

III. *Respectu peccati inhabitantis Apostolus Rom. 7. 14. conqueritur se esse carnalem, subiectum peccato, & non posse legem spiritualem DEI perfectè servare.* Resp. Paulus non vult significare, legem spiritualem non servari à justificatis, quatenus opus est ad vitandum peccatum; sed non servari quoad perfectionem illam quæ est finis præcepti ac propterea propriè non est præceptum. Ita SS. Augustin. Thomas &c. quorum proinde *Glossam* ait Amesius *textui* (puritanicè accepto) *directè contradicere.* Et cur? *Textus enim dicit, legem à Paulo non observari, quia subiicitur peccato.* Imò oppositum dicit, nempe. Paulum *id quod odit* (secundùm liberum assensum voluntatis) *facere, physicè scil. ita ut non ipse, h. e. superior animæ portio, sed caro, seu inferior portio, id quod (moraliter & liberè non vult ratio superior) nolens faciat: spiritu autem, seu libero rationis arbitrio, serviat legi DEI.* Adde duas alias à Bellarmino adductas interpretationes ejus loci, quas Amesius silentio enervavit. Prior est, Apostolum non loqui de se, similibusque justis, sed de improbis. Ita SS. Chrysoft. Ambr. & etiam August. Posterior est, *præcepto, Non concupisces, non vetari ullo modo*

modo motus involuntarios, sed tantum assensum mentis; Tum quia ea lex ab Apostolo vocatur *lex mentis*, non carnis: Tum quia hoc præceptum Exod. 20. Deut. 5. & Matth. 5. ponitur cum aliis Decalogi præceptis, quæ omnia non nisi de actibus liberis esse constat.

IV. *Paulus nolendo concupiscentiam consentiebat legi. Lex igitur non voluit, id est, prohibuit concupiscentiam inesse Paulo. Rom. 7. 16. Resp. 1. Si præceptum, non concupisces, cum S. Augustino extendatur ad motus involuntarios, tunc fatendum est, eos motus repugnare legi, sed non esse peccata, quia nempe ut sic indicat ea lex finem, non verò imperat media. Nec obstat (ut putat Ames.) illud: Quod odi hoc facio. Nullum in hoc vestigium mediæ imperati. Resp. 2. Si verò restringatur illud præceptum ad motus tantum voluntarios, sic dicendum est, tam Legem, quàm mentem Pauli nolle concupiscentiam ut objectum. Sicut si quis hominem casu & præter intentionem occideret, is verè dicere posset, Quod nolui, feci, & ideo consentio legi homicidium prohibenti, quia bona est; nec tamen hinc colligi deberet, præceptum (Non occides) extendi ad homicidium omnino involuntarium, cum hoc non sit contra Legem, nisi materialiter. Amesius non habens unde configat solidè hanc Responsionem, calumniatur, speciem distinctionis hinc obici incautis & c. Scitne quid loquatur? Certè nil ad rem! 2. ait in exemplo allato de homicidio involuntario non reperiri eam oppositionem, quæ est in Lege & Concupiscentia. At hoc apertè falsum esse patet, si in verbis Amesianis loco Concupiscentiæ ponatur Homicidium, (utrimque involuntarium) hoc modo: Paulus quia noluit Homicidium, inde probat se consentire legi in illo bono, quod postulat, quia Homicidii malum, & legis bonum opponuntur. Nimirum Amesius expedire se non potest, & tamen tacere non potest!*

V. *Concupiscentia dicitur lex bellum gerens adversus*

*sua legem DEI, & captivum hominem reddens legi peccati Rom. 7. 23. Resp. Multa Legi repugnant, quæ non sunt peccata, ut homo qui peccat, lex iniusta, &c. Amesius. Nihil potest legi divina repugnare sine peccato &c. Distinguo, de formali & morali repugnantia verum est; de materiali, objectivâ, & aliâ qualicunque, falsum est. Nunquid qui tollit legem, repugnat vel contrariatur, itæque qui dispensat in lege, ejus vim partialiter tollit, adeoque adversatur? at nullatenus ideo peccat. Ipse DEVS suas leges anteriores antiquavit, ac in ijs subinde dispensavit. Repugnat itaque Concupiscentia legi mentis, ut lex contraria impellens ad malum, quomodo etiam legi repugnat diabolus, speciosa & illecebrosa fœmina (quantumvis innocens & casta) & quicquid objectivè movet, incitat ad legis transgressionem. Hæc omnia esse formaliter peccata, quis nisi vecors dixerit?*

*VI. Rom. 7. 24. Concupiscentia dicitur corpus reddens hominem infelicem. Resp. Etiam error, morbus, egestas &c. miseriæ reddunt hominem infelicem, sed an ideo peccatorem?*

*VII. Motus concupiscentia sunt illiciti. Ergo sunt peccata. Resp. Illicitum est ijs præbere consensum. Licitum & illicitum tantum respiciunt liberam voluntatem. Non nisi pecus arcadicum dixerit, illicitum esse bestiis lascivire, rapere, laniare &c. Sed inquit Amesius, Omnes vires nostra ferri debent in bonum Resp. Omnes quæ, & quatenus, subsunt imperio voluntatis. Non autem subest despotico ejus imperio Concupiscentia &c.*

*VIII. Quod per se trahit ad malum, eadem lege prohibetur, qua prohibetur ipsum malum. Sed concupiscentia per se trahit ad malum. Jac. 1. Ergo. Resp. non prohibetur nisi materialiter, ne scilicet ejusmodi objectis præbeamus consensum: hinc enim tantum proprie & formaliter vetatur per legem. Amesius. Fuit aliquando in hominis arbitrio & potestate admittere*

vel co  
vatio  
Ergo  
is q  
mor  
suo  
quo  
qua  
sunt

DE  
incit  
natu  
non  
rati  
fuge  
etia

conc  
Pro  
acci  
Red  
ut  
niti  
à m  
nisi  
(se  
nox  
Ver  
nis  
cup

fe  
cè,

vel

vel cohibere motus concupiscentia. Potestatis autem privatio culpā nostrā contracta non tollit rationem culpa. Ergo. Resp. Si subsumptum universè verum esset, is qui per ebrietatem ex. gr. iucurrisset gravem morbum, quo multis mensibus sit impotens muneri suo exequendo, toties & tamdiu peccaret graviter, quoties & quamdiu non potest fungi munere suo quantum vellet. Itaque peccata ejusmodi non sunt in se formaliter, sed in causa.

IX. *Concupiscentiam, qua remanet in baptizatis, DEVS odit, & nos odisse debemus.* Resp. Quatenus incitat ad peccatum, concedo: quatenus est potentia naturalis, tendens in bonum sensibile delectabile, non odit DEVS, nec nos odisse debemus, sed frāno rationis coërcere. Debemus utique averfari & fugere non solūm quæ sunt peccata formaliter, sed etiam omnia eorum illicia & stimulos.

X. *Quod disfidet à norma legis, est peccatum. Sed concupiscentia in renatus disfidet à norma legis.* Ergo, Resp. Propositio est falsa, nisi largo modo & materialiter accipiatur, ut jam patet ex dictis ad Obj. 5. 7. & 8. Rectè dixit Bellarminus, hoc argumentum (quod ut Achillem suum jactant Philippus, Calvinus, Kemnitius &c. cuius mole premi se sentiant omnes Pontificii) à multis eludi per jocum. Et meritò! Quis enī nisi asinus dixerit, si quadrupes pauperiem fecerit (seu injuriam materiale alteri intulerit) & ideo noxæ eam dari oporteat, ideo formaliter peccasse. Verbo, Legis formaliter s. capax non est, nisi rationis compos, qualis ne in homine quidem est Concupiscentia, & quævis passio sensitiva.

§. 4.

*Quid hīc Gerhardus?*

Pleraque ejus cum Amesianis coincidunt. Pauca seorsim adnotanda restant. Th. 83. vel sycophantice, vel pœriliter objicit antilogiam Bellarmino eò quod

quod diversas attulerit solutiones ad 4. obj. quarum secunda tollat primam, tertia secundam. Verum neque hoc verum est, si solutiones illæ in genuino sensu accipiantur; & quamvis esset inter eas repugnantia, Veritati Catholicæ id non incommodaret, cum sæpe aliquæ sententiæ aut solutiones sint seorsim sumptæ probabiles, minimè verò comprobabiles.

Th. 64. ait: *Si illud solum est transgressio legis quod actu voluntarium, tollentur omnia ignorantia & infirmitatis peccata; item negabitur in universum orig. peccatum. Neutrum consequens admittet Bell. Ergo nu ante edens debet.* Resp. Nihil horum sequitur. Ignorantiæ & infirmitatis peccata nulla sunt sine aliquali malitia, adeoque advertentiæ & transgressione culpabili aliquatenus. Tantum verò minuitur, quantum minuitur advertentiæ ac libertas; tolluntur etiam penitus si ignorantia sit invincibilis, aut passio rationem planè opprimat. Hæc si Gerhardus ex elementis moralibus nesciit, nimis rudis est; si sciens ita arguit, Titius viderit, qui à Sycophantia immunem præstet.

Th. 65. *Quod Bell. dicit, Concupiscentiam odio haberi à DEO, & tamen non esse peccatum, in eo veritati & sibi ipsi contradicit.* Resp. Nulla est hîc contradictio. Sicut enim habitus vitiosus in homine justificato remanens cum odio seu displicentia illius (qui proinde DEO quoque displicet) nequit dici culpa sive actualis sive habitualis, cum (ut supponimus) per ferventem actum contritionis omnis reatus ei sit remissus: ita & hîc. Et per hæc evanescit etiam Argumentum Gerhardinum Th. 59. Cùm verò th. 96. ex Bell. dictis ita infert: *Quod est malum positivum, per versio & obliquitas voluntatis, similis calori per calefactionem acquisito, aversio mentis à DEO per modum habitus manens, habitus acquisitus macula &c. non est nuda privatio, sed etiam vitiosa qualitas. Illa omnia conveniunt peccato originali.* Ergo non est tantum  
 priva-



privatio, sed etiam vitiosa qualitas. Resp. Iterat Ger-  
 hardus vel flagitium, vel puerilem inscitiam. Nam  
 Bellarm. in plerisque locis à Gerharo adductis,  
 non loquitur de habitu vitioso, sed de peccato ha-  
 bitualiter remanente quamdiu non retractatur &  
 remittitur. Et hoc habitualiter manens peccatum  
 (sive originale, sive personale) juxta communio-  
 rem Theologorum sententiam rectè dicit consistere  
 tantum in privatione, quæ constituat peccatorem  
 habitualiter à DEO aversum eo ipso quo caret ha-  
 bituali gratia sanctificante, per quam formaliter  
 convertatur ad suum finem ultimum, eundemque  
 maculet. Quod verò inter cætera refert hæc. *Rema-  
 net in anima peccatoris dispositio vel habitus acquisitus;*  
 planè saltariè affingit Bellarmino id, cujus op-  
 positum asserit: *Vitium est, inquit,  
 non peccatum.*



LIBER